

erant, omnes hostium conatus a continenti incubuerant. 1453
Admoverant illi æneas machinas pluribus locis ingentes,
& imprimis ea parte, qua *Sutrinæ* nomen loco fuit. Hic
itaque & alibi crebri tormentorum ictus ingentem muro-
rum ediderant ruinam. Sed ut propugnatorum vires bar-
barus in plures distraheret partes, ac per hoc infirmiores
redderet, statuit (quia alia ratione non poterat) partem
navium terrestri via in sinum perducere. Quinque & se-
ptuaginta biremes a Peranis columnis præter oppidi mœ-
nia in internas aquas sine ullo certamine pertraxit: da-
tumque id negotium ex Flambulariis uni, qui cum se-
ptuaginta hominum millibus Byzantium ab ea parte ado-
raretur. Erat ille præsidio biremibus, dum in aquas trahe-
rentur, ne subito Christianæ classis incurfu incendio ab-
sumerentur. Statuerat ad hæc tormenta aliquot in aver-
sa parte sinus e regione urbis, non magis ad disturbanda
Byzantii mœnia, quam ad hostilium navium accessus in-
hibendos. Ferunt, Perenses potuisse ab opere ducenda-
rum navium barbarum avertere: sed ideo noluisse, ne
eam belli tempestatem ex vicino littore in suum averter-
rent. Traductis igitur in sinu biremibus, quia manifeste
apparebat, ex tam propinqua statione ingentem urbi cla-
dem imminere, etsi numero hominum naviumque inferio-
res erant, Venetus tamen & alii hostilem classem invade-
re statuerunt: ratî fore, ut eam ex improvîso adorti,
terrore subito accessu injecto, facile incendio absumerent,
Fuit nox illa caliginosa, & qualis verno tempore esse so-
let: quo accidit, ut non modo non ab hoste prospici,
sed ne ipsi quidem inter se videri in tanta aeris densitate
possent. Latuisset itaque facile hostem nostrorum incur-
sus, fuissetque forsitan Othomanica classis deleta: quo fa-
cile evenisset, ut aut fœda illa clades, quæ Christiano
nomini ex nobilissimæ urbis amissione imminabat, omni-
no discussa esset, aut certe in plures dies distracta. Sed
Perenses, qui proximum alebant incendium, ne res igno-
raretur, effecisse creduntur, propugnatorum consilio hosti-
bus denunciato. Quo factum est, ut ad nostram classem
oppri-